



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

vel sententiam, quòd statutum proximè ac directè territorium afficiat, atq; exinde tendat in incolas, seu commorantes intra territorium: Sententia autem & præceptum, proximè tendit ac directè in personas subditas, earumque ossibus hæret. Quamobrem nihil obstat, quo minus Episcopus peregrinatus Clerico suo præcipiat, ut in certo loco extra Diocesin consistat, inibi ne ludat, potitet. At verò statutis suis non potest obligare Clericos, dum extra commorantur. Sed alia ratio est de Religiosis, quorum leges & statuta Ordinis, non sunt certi territorii: cum fundata sint in personali eorum obligatione ac voto: quare dici solet, quod *totus mundus sit Prælati Ordinum pro territorio*, erga subditos Regulares. *Syl: ver: excom: 2. n. 15. & alij.*

25: Dubitatio consequitur quoad eum, cui confiscatio bonorum ob crimen illata est, an pœna extendi censeatur ad bona, quæ alibi possidet. Distinguendum: vel diversa loca eidem Domino, seu Magistratui immediatè subsunt: tunc omnia ipsi applicabuntur. Vel non eidem,

sed diversis subsunt; & tunc refert utrum
 pœna confiscationis reo inferatur ex le-
 ge, quæ utriq; loco communis sit, an ex
 statuto proprio: priore casu Judex loci, in
 quo reus condemnatur, confiscabit om-
 nia bona mobilia: immobilia verò bo-
 na, quæ reus possidet, in suo territorio:
 alter verò Magistratus, alia immobilia
 bona. Posteriore autem casu bona extra
 territorium posita confiscationi subiecta
 non sunt. ut benè *Clarus q. 7. 8. n. 27. Bal-
 in L. 1. n. 26. C. de Sum: Trin: Farinacius. de
 de heresi. q. 190. n. 166.*

26. Non placet sententia *Innocentij: in
 cap: postulasti, 14. de foro comp: quem sequitur
 ibid: Abb: n. 16. contra Host: & Ioan And. ibi-
 dem.* Si Magistratus statutum condat, ut
 ob crimen adulterii v. g. possessiones cri-
 minosi confiscentur, quod afficiat etiam
 possessores extraneos, & alioquin non sub-
 ditos, eò quod in rem & non in personam
 conceptum sit. Verumtamen intentio
 statuentium, & effectus statuti confide-
 rari debet potius, quàm eius verba. Ap-
 paret autem qualitercunque verba con-
 cipiantur, causam statuendi esse crimen
 adeo-